

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

*Inscriptio:*  
 Reverendis & Clarissimis viris, Patribus & Fratribus nostris in Christo, D.  
 Doctori Erhardo Steppio, D. Doctori Joachimo Morlino, Domino  
 Erasmo Sarcerio, Domino Victorino, & Domino Stoffelio. Ministri Ec-  
 clesie in Urbe Vangionum.

## XLIX.

**S**æpe de te, mi suaviss. Marpachi, cogito, sed non perinde tamen sæpe scribo; propterea quod crebrò te abesse domo intelligam, & rarius accipiam tuas. Dedit autem nunc occasionem Dominus, ut per hos optimos & clarissimos viros liceret ad te literas dare, qui te sive Argentorati, sive Vormaciæ, agas, convenire statuerunt, ut ejus & humanitatem & operam sunt experti, quam pridem per literas erga me liberaliter prædicarunt. Negocium, quod agunt, ex ipsis abunde intelliges. Furit Gallus contra Evangelii professionem, ut jam non cum hominibus solum bellum gerat, sed eum Christo; incitatus nimirum à Satanæ ministris, qui cladis, quam accipit, culpam omnem in nimiam ejus patientiam erga evangelicos conjiciunt, & clamant verè illud paganorum, de quibus Tertullianus: *Christiani ad Leones*. Spem tamen fovent nonnullam fratres afflicti, mitigari persecutionem posse, intercessione Principum & Civitatum maxime, quando pertendi illa citra inauditam hæctenus sanguinis effusionem nequit, idque ob incredibilem multitudinem Christum confitentium, ex primis etiam ordinibus. Si quid hanc causam juveris, quod tua te sponte facturum scio, non perdes operam coram Domino, qui suos nobis ut propria viscera complectendos commisit. Nos salvi sumus omnes, & præsentem sumus Colloquio spiritu, cum non liceat corporibus, quod tamen ego supra quam dici possit exoptaverim: Audimus callidè in eo moras nectere Papistas, ut tempus pertrahant, ac tædio fastidioque Nostros fatigent, qui rebus necessariis mallent cum fructu vacare. Sed confundet eos Dominus, qui opus ipsius agunt fraudulenter, & servabit Ecclesiam suam. De Argentinensis, hoc est, tuæ Ecclesiæ statu cupio certior fieri, de qua non desinimus sperare optima. Bene vale in Christo JESU, cum tuis omnibus. Basil. 26. Septembr. Ao. 1557.

*Tuus ex animo*

S. Sulzerus.

## L.

**S** Benedicir nobis ubertim Dominus JESUS, cujus beneficio succrescunt subinde egregia feliciaque, & ad discendum inflammata ingenia; nimirum